

234

COLLEGIO
S. FRANCESCO

234

BIBLIOTECA NAZIONALE
TORINO



CAROLI BOVCHERONI

ORATIONES

HABITAE

IN R. TAVRINENSI ATHENAEO



AVGVSTAE TAVRINORVM


EX REGIO TYPOGRAPHAEQ

MDCCLXXIX

Collegio S. Francesco 234

NONIS NOVEMBR.

A. MDCCCXXVIII



Post barbararum gentium discursus et Europae vastitatem, duo in primis sunt a quibus recentioris humanitatis initia repetimus, et foedus Insubriae civitatum, quae ancipiti saepe fortuna dimicando ab externorum vi se se fortiter vindicarunt, et optimarum artium cu-

VIII

pido, quae postmodum Italorum animos pervasit. Quum enim restincto iam belli incendio, quod a Taurinis Alpibus ad Venetorum fines exarserat, prima civilis sapientiae rudimenta in constituendis urbibus nostri homines posuissent, ita postea praeclara studia excoluerunt, ut ad omnem excellentiam aditus per eos patuisse videretur. Qui ardor, qui nisus tunc omnium fuit, quum principes viri et republicae de recuperanda literarum gloria tanquam de avita hereditate inter se contende-

IX

rent! Cui sane rei magnopere profuit diuturnitas pacis, qua seculo XIV et XV usque ad gallicum motum usa Italia est, tum etiam illustrium graecorum post Emmanuelem Chrysoloram in has terras adventus; ita nimirum ferente rerum cursu, ut qui ignis in Oriente tunc primum deficeret, apud nos iterum excitaretur. Magnum porro ac miserabile spectaculum fuit, quum everso imperio, incensa patria, monumenta maiorum suorum vix ferro flammisque erepta, iidem secum afferrent. Homines gran-

daevi, extorres, ex Hellesponto et Aegaeo mari huc oratum veniebant, ut quando nihil sibi praeter miseram animam crudelitate hostium superesset, at saltem in libera regione consistere et huius coeli spiritu frui sibi liceret. Ea igitur aetate ionicae atque atticae literae, quae post captam Corinthum, mansueto victore populo, in Latium et in pleraque Italia diu in honore fuerant, Romae, Florentiae, Venetiis, Patavii liberaliter exceptae, vel amicissimas olim sedes rursus adiverunt, vel novas invenerunt.

XI

Tunc graecus sermo, quem Barlaamus Calaber et Leon-
tius ille Thessalus Petrarcam
et Boccaccium docuerant, Ita-
lorum opera praesertim excul-
tus, in Gallos, Germanos, Bri-
tannos manavit. Tunc adulta
iam poësi, vernaculus plane
dicendi candor ac lepos in lu-
dicris nostrorum narrationibus
apparuit, et summorum arti-
ficum ingenia sub Cosmo et
Laurentio in Mediceis hortis
propemodum nata, cum anti-
quorum felicitate certarunt.
Qui vero ceterarum disciplina-
rum progressus exinde fuerint,

XII

nostis, Auditores. Falluntur enim si qui putant graeca studia ad elegantiam tantummodo pertinuisse. Quis namque admissis semel ingeniis fines aut modum statuat? vel quis nescit omnem doctrinam a Graecis, optimis non solum dicendi, sed et inveniendi auctoribus, ita fuisse pertractatam, ut eorum libri interpretati et lecti, uberrimam meditandi materiam praeberent? Quin et ipsae controversiae de Platone et Aristotele inter Gemistum Plethonem et Georgium Trapezuntium, vivo Bessarione, agi-

XIII

tari coeptae, veriori fortasse philosophiae viam muniverunt, quam non ita post Cartesius e longinquo magis ostendit, quam docuit. Nec ultra iam progrediar, ne de re tam varia et multiplici parum videar dixisse. Ars enim quam celerrime tutissimeque propagandae humanae cogitationis tunc divinitus inventa, totque in idem consentientium populorum conatus tantam ubique commutationem fecerunt, quantam vix quisquam possit oratione complecti. Eo accessit nova orbis terrae pars, nova mortalium

XIV

gens memorabili ausu ultra oceanum reperta, mox vero maritimum iter ad Indos trans Africam a Lusitanis prospere tentatum, ex quo Europa industria, commerciis, navigationibus aucta, eum principatum tenuit, quem nisi neglectis ingenii artibus, amplius nequeat amittere.

Hiscè eruditionis fructibus recolendis instituta haec aditialis oratio est, quae literarum nobilitatem auditorum oculis proponeret. Quo quidem argumento haud scio, an aliud iucundius ad tractandum sit.

Lacedaemones nolebat Lycurgus iusto proelio cum hostibus congregi, nisi Musis fuissent operati; Xenocrati vehementer auctor erat Plato, ut ne prius philosopharetur, quam Gratiis litaret: quid ipsi dubitabimus orsus a literis capere, quae propter commune vinculum et Musae et Charites promiscuo nomine identidem dictae, effectrices humanitatis sunt et auspices operum pulcherrimorum? Gaudent praeterea homines locupletes et copiosi quum heredes fortunarum suarum intuentur, laetantur viri fortes

XVI

si lineamenta virtutis suae in liberis agnoscant; nos quo tandem animo erimus hanc iuventutem circumspicientes, cui doctrinarum semina caste ad hanc diem servata relinquemus? Non eadem amplius corona stipamur, quae me quindecim ab hinc annis cunctis studiis prae-euntem audivit, sed quemadmodum cursores in mysticis veterum certaminibus faces per manus accipiebant, quas aliis traderent, sic adolescentes, qui nos undique circumstant, discendi cupiditatem a prioribus haustam postremis trans-

XVII

mittent. Quorum conspectu si mirifice omnes recreamur, iucundissimum porro vobis erit cogitare, Patres sapientissimi, fore ut per ipsos vestri labores in augendis disciplinis insumti, nunquam intereant. Nihil enim erit docte et acute a vobis excogitatum, vel feliciter animadversum, quin ab eisdem exceptum, et aliter atque aliter post multas aetates expressum, ad memoriam pertineat posteritatis. Sic enim vero doctorum mens superstes corporis est, ac vitalis illa vita efficitur animorum, quae per imperio-

XVIII

rum vices, per interitus rerum
et hominum, eadem semper
propagatur et viget.

Sed in tanta argumenti varietate, illius ambitum iam definiam, Auditores, ne licentius evagetur oratio. Constitui autem hodierno die de politioribus artibus disserere, de quibus nimirum hoc quaeri solet, utrum in contentionem dignitatis cum ceteris veniant. An poësis et eloquentia innocui lusus ingenii sunt, qui sibi melius relinquantur ac negligi sine detrimento possint? Nam ut multum eis detraheretur

XIX

nuper effecit temporum conditio, quum exardescuntibus gentium odiis, homines in castris innutriti, nihil aliud quam bellicas utilitates in scientiis spectarent, tum etiam physices et matheseos incrementum, quas adeo popularis favor sequeretur. Ego quaestionem sic peragam, Auditores, ut demonstrem, si quid universae literae ad humanitatem conferunt, id praecipue a politioribus esse repetendum.

Platonis illud fuit aeternas animas ponere, quae coelo diu errantes, non antea in corpora

demitterentur, quam pulchri rectique ideas in coetu convictuque Deorum hausissent. Nec enim easdem uti cetera ex infimo nasci, sed tanquam peregrinantes hospitia terrarum incolere, unde emeritis stipendiis prius repetant domicilium, si invictae a cupiditatibus, hoc est immunes a materiae contagione permanserint. Quam animorum peregrinationem nescio, utrum ipse primus excogitaverit, an ex vetustissimis Aegyptiorum anaglyptis in Graeciam transtulerit; certe haud elegantius poterat divi-

XXI

nam humani generis originem adumbrare, vel praepotentem naturae impetum interpretari, quo in rectum et pulchrum mortales feruntur. Nam quum videret hanc esse propriam communis naturae notam et quasi characterem, splendide maluit cum poëtis errare, ac mentem alumnam Numinis facere, quam utcumque ipsius dignitatem obscurare. Qui vero potuisset recti conscientiam a sensibus, individuum ordinis et pulchritudinis formam a divinis corporibus repetere? Quamquam meum non est di-

XXII

sputationem ingredi tot dissentientium philosophorum sententiis nobilitatam, sed illud potius attingam, eum motum inditum humanis mentibus fuisse, ut in hac duplici appetitione nunquam quiescant. Vt autem verum et rectum ratione quaerimus, sic phantasia, quae graece dicitur, uti voluptaria comes nobis est attributa, qua ad pulchrum duceremur. Facultatem aio, Auditores, quam saepe ludimur, recreamur, quae non minus in populis, quam in singulis hominibus perspicitur, quae linguis

XXIII

creandis praefuit, quae venustatem, quae magnitudinem artificum et scriptorum operibus conciliat. Quod si veri studium puras intelligentias interdum sequitur ab omni concretionem semotas, alios etiam orbes extra hanc rerum universitatem sibi quaerit phantasia, ubi liberior excurrat. Nec enim soli Graeci hesperides finxerunt et fortunatorum insulas sub nitidioribus solibus positas, sed huiusmodi commenta ubique ferme reperiuntur. Quid igitur? an humanus animus hac tanta siderum et

XXIV

terrarum specie contentus esse non potuit, qua commotas gentes Deos esse credidisse scribit Plutarchus? Atqui pulchritudinem, quam anquiri, neque Phidias marmore, neque Apelles coloribus unquam expressit. Hic iam Platonem deseram, et Stoicos atque orientales philosophos vobis indicabo, qui tam inexplebilem instinctum in homine mirati, non spem, sed desiderium antiquioris status esse dixerunt, unde humanum genus, vel fato aliquo, vel culpa, fuerit deiectum.

Sed quoniam tanta haec vis

in homine est, iam patet quanti momenti artes inde procreatae esse debuerint. Eae certe tanti ubique fuerunt, ut cum ab originibus omnium regionum ortae videantur. Quis ignorat poëtas populorum ingenia et mores finxisse descriptis vetustissimis annalibus, in quibus religionum origines et prima sapientum inventa admirabilitate fabularum obtegerent? Qui locus tam abditus sub septentrionibus est, ubi arcanae ipsorum narrationes vix dum notis characteribus mandatae, eruditorum subtilitatem non

exerceant? Et operae pretium foret omnium gentium historiam, et cursum totius humanitatis cum poëtis sequi, ut apud Graecos ab Orphicis carminibus, quae primae adumbrationes hymnorum sunt, ad Homerum, ad Anacreontem, ad Theognidem, ad Aristophanem, ad Menandrum. Nam Latinis comicis exceptis, qui toti in Graecis vertendis Romanorum mores neglexerunt, nemo unquam poëta fuit, vel epicus vel satyricus, quin effigiem seculi et gentis suae versibus inculpserit. Inde ip-

XXVII

sorum fama et popularia studia, quibus diu etiam post mortem floruerunt, quod videlicet unum quiddam cum sua civitate efficerent. Quo circa multos audio mirari quid sit, quod summi philosophi minus crebris sermonibus usurpentur. Sed falso, quum illi saepe aequalibus ignorati vitam traducant; contra poëtae in civium animos se se penitus insinuent. Quantum vero illud est, quod iidem fortia virorum facta illustrent, quod linguas pro arbitrato fingunt, suasque sententias efficacissima arte

XXVIII

mentibus defigunt! Vnde iam sequitur alienis inventis populos uti posse, poëmatibus non posse.

Tetigisse mihi videor precipuum discrimen, quod inter philosophiam et huiusmodi artes intercedit; id tamen melius apparet, si diversa humanae cogitationis itinera parumper attendimus. Atque hic, quaeso, cognoscite, Auditores. Nam si poëtae propter celerrimos mentis motus divino quasi spiritu afflari dicuntur, quanta ex adverso constantia in veri investigatione opus est, sive quod

XXIX

hebetior humani intellectus acies sit, quam ut statim id pervideat, sive propter fallentem rerum nexum, qui vel acutissimos praetereat? Fieri enim potest, ut in mundi opificio quasdam veritates, veluti ex naufragio tabulas, arripuerimus, quum interea summum et fecundissimum omnium principium nos lateat, a quo singula regantur. Hinc philosophorum labor, et ancipitia veritatum simulacra, non secus atque illa Protei, sub cuius symbolo instabiles naturae formas veteres depinxerunt. Quod

XXX

si demum insperata veritas in apricum fuerit prolata, quantum temporis requiritur, ut in illustri posita et cum reliquis consociata, certam sedem et auctoritatem acquirat? Quamdiu ante Galileium Copernicana lex fuit reperta? Quam acriter postea, addam etiam quam docte, quam subtiliter fuit oppugnata! Quod si dixerim melius iam exploratis ceteris naturae legibus, eam nunc lucem accepisse, qua paullo superius caruit, haud multos repugnantes me puto habiturum. Nemini propterea mirum

XXXI

esse debet, si magni rerum repertores aliquando serius inclarescant, eorumque inventa ad humanas utilitates parum valeant, nisi ab aliis scriptoribus diu multumque fuerint retractata. Quo autem occultior veritas fuerit, quo solertius quaesita, eo maiore artium concursu opus est, ut in vulgus promanet. Addite iam altioris philosophiae progressus opinionum vices non sequi, sed iisdem ut plurimum repugnare; poëtas vero mores informare, a moribus informari, quo populari aura ferantur.

XXXII

Ex dictis iam satis constat, opinor, quam arctum foedus humanarum facultatum sit, quae natura diversae, at simul conspirantes, aliae ab aliis vim et lumen accipiunt. Vnde hoc literarum discidium veteribus plane ignoratum? Quid poësis, eloquentia sine sapientia possunt, quid severiora studia, si agrestioribus Musis relinquantur? Ego vero, ut civitates puto florere ex consensu rerum plurimarum, sic doctrinam laudaverim, quae ex elementorum varietate coalescat. Nec est, cur qui vero inquirendo

XXXIII

vitam impendunt, urbana otia leviorum artium aspernentur; hae namque, si nihil aliud, at impetum ad praeclara, et civilem alunt mansuetudinem, quam olim induxerunt. « Efferatos Boeotorum mores, inquit Maximus Tyrius, tybiae studium, tybiaeque aptatum Pindari carmen mitigavit; sic Tirtaei numeri Spartanos, Argivos Telesillae modi, Lesbios Alcaeï cantus excitarunt ». Et recte; fingite enim vobis animo, Auditores, subito e terra enatam, vel ex fugitivis et naufragis temere coactam multitu-

XXXIV

dinem, nec enim civitatem appellavero, omnis prorsus ingenuarum artium cultus expertem. Si tarditas, immo stupor est pulchro non commoveri, quam immanis ille populus, qui ipsius disciplinam omnino neglexerit! Vnde laudis cupido, qua detracta, nulla diu mansura respublica potest intelligi? An commercio et agriculturae incumbet? Sed hisce naviter incubuerunt Carthaginienses, quorum tamen plus quam inhumana crudelitas ab historicis memoratur. An firmitate in belli periculis prae-

stabit? Qui in tota antiquitate Thracibus bellicosiores, qui in obtruncatis hostium capitibus sanguinem ebiberent? quid si per pacem in consopitis veterano pectoribus illa virtus languescat? An demum iustitiam et sanctitatem colet, qua prisci Romani dicuntur floruisse? Verumtamen illi, quum plura alia, tum carmina antiquitus habuerunt, quae in honorem virorum illustrium in epulis canerent, nec vero plane rudem ob Graecorum in Italiam migrationes Romuli aetatem fuisse ostendit Tullius in libris de

XXXVI

republica. Ita nempe res se habet, Auditores; illae ipsae artes, quae voluptati, quae ornamento sunt, quae sermones expoliunt, nobis solatium in solitudinibus et orbitatibus praebent, quod per eas cum praeteritis vivimus, futuros alloquimur; illae, inquam, artes adeo cum natura humana coniunctae sunt, ut eisdem sublatis, hanc horrescere et obscurari necesse sit. Quid enim si vel paullisper corruptus pulchri sensus certissimum degeneris populi indicium praebeat? Quod quidem effrenis Romanorum luxus Ne-

XXXVII

ronianis temporibus ostendit, quum videlicet sanitas illa iudicii desiderari coepta est, qua fit, ut modum in omni re servando nihil nimium neque in ipsa magnificentia probemus. Cuius rei exemplo sunt Athenienses, quorum urbanitatem quum dicimus, argutam populi elegantiam intelligimus, quae non minus in vitae munditiis, quam in artificibus et scriptoribus cerneretur. Vt autem a Lydia mollitie omnique Persico fastu esset alienus, duo convivia a Platone et Xenophonte descripta testantur, nec

XXXVIII

minus demonstrabat ipse Athenarum adspectus, quarum aditus multo iucundiores, quam splendidiores primum intuens Dicearchus, Aristotelis auditor, vix sibi fidem faciebat, opulentissimam totius Graeciae urbem suis se oculis conspicerere.

Tametsi melius quid politiones literae ad humanitatis incrementum possint, ex Europae historia post romanam magnitudinem perspicitur, qua quidem aetate quum multi legant de feritate populorum, qui Honorio imperante, ex ultimis Asiae et Germaniae recessibus

XXXIX

in has terras impressionem fecerunt, falso sibi persuadent omnes tunc scientiarum stirpes interiisse, quasi ex antiquis Atlantidibus iterum fuerint repetendae. Sed ille fremitus barbararum gentium fuit, tunc primum effractis imperii claustris, ad praedam et ultionem decurrentium, quae postea a Stilicone ad Tanarum perculsae ac prorsus deletae, aliis locum fecerunt, ex quibus una cum recentiorum linguis, nova robustiorque stirps debuit oriri. Hunnis igitur, Vandalis, Erulis, interfecto Odoacre, Gothi suc-

cesserunt, quorum Rex Theodoricus exquisitissimis artibus Byzantii in contubernio Zenonis imbutus, sic regnavit, ut maculam Boëtii et Symmachi caede susceptam, restitutis legibus, urbibus, agricultura, delevisse paene videretur. Atrociora Longobardorum initia propter muliebres prodiones et nefariam Alboini, Clefis aliorumque ducum crudelitatem fuere; sed eae deinceps leges ab ipsorum successoribus latae sunt, quibus negant alias usquam fuisse aequiores. Illa propterea tempestate, si quid

XLI

superioris eruditionis supererat, id potuit servari, ut ipse scriptorum proventus, qui rarius, densius apparent, abunde declarat. Sed sublato Longobardorum regno, quarto post barbaricas irruptiones seculo, supervenit Carolus, Alcuini discipulus, rebus gestis et cognomento Magnus, idemque literarum egregius fautor et vindex, quo tamen extincto, densiores tenebras Italiae perhibent insedissee. Verum, ut viros doctos omittam, qui tunc in Gallia et Britannia fuerunt, quis sibi persuadeat omnes

prorsus apud nos literas iacuisse, quum neque unquam navigatio quieverit, et incolumi Byzantio, vivo Photio, Anastasio, complures Italorum religionis causa in Orientem se conferrent? Eo accedebat incredibilis quaedam piorum hominum in undique exquirendis describendisque antiquitatis reliquiis diligentia, eo etiam Arabum fervor graeca studia aemulantium, ex quibus una cum aliis inventis, numerorum notae a praedatoria Saracenorum manu in orientalem Italiae oram fuerunt illatae. Ne vero

XLIII

singula recenseam, nonne seculo XI nova philosophorum familia a Lanfranco et Anselmo ducta est, a scholarum contentionibus nominata, quae sermone horrida, acumine subtilis, et multorum ingeniis celebrata, diu in Europa viguit et etiam nunc viget? Hic subsistam, Auditores, et doctiores iam percunctabor, cur scientiae nullam tunc vim habuerint vel ad mores emendandos, vel ad odia restinguenda, vel ad superstitiones evellendas? Nam quam corruptae tunc essent hominum sententiae, quae mo-

XLIV

rum ferocia, quam impotens
ubique libido, historia eorum
temporum docet. Ergone in in-
genio, quo nihil divinius nobis
datum est, nullum praesidium
prosperandis civitatibus fuit ?
Sed deerat cultus artium ele-
gantiorum, deerat scriptorum
facundia, qui disciplinarum
foetus in lucem proferrent, co-
loribus vestirent. Tunc sermo
principis olim terrarum populi
externis admixtus, suum nito-
rem amiserat; in ipsius autem
interitu hispanicus, gallicus,
italicus paullatim coalescebant,
quos utpote barbarae originis

XLV

vix longa dies potuit emollire. Hominibus tunc per agros et castra degentibus, nulla erat doctorum cum popularibus consuetudo. Si qui literis se abderent, iidem subtilitatibus dediti, posthabitis veteribus, neglecto naturae studio, alta et incredibilia quaerebant. Inde opinionum portenta, et praestigiatorum artes, et novis libidinibus explendis inventae doctrinae, ex quibus Europa sanguine redundavit. Haec profecto omittere non debuerant, qui barbariam nuper laudandam susceperunt, sed potius ex

XLVI

casibus hominum innocentissimorum, ex decretis Pontificum, qui pullulantes undique errores proscriberent, atque ex infelicitate temporum arguere, quam perverse, quam exitiose tunc homines scientiis uterentur. Quae si animadvertissent, aeterna commemoratione dignos censuissent Italorum conatus, qui, uti a principio posueram, dispellendae caliginis auctores fuerunt. Hi namque admota face literarum, opinionum foeditatem, quae tunc essent, melius demonstrarunt, et excitato venustatis sensu di-

XLVII

sciplinas disciplinis, quae ante fuerant seiunctae, sororio nexu devinxerunt. Inde factum est, ut humanum ingenium sibi, ita dixerim, redditum, suisque facultatibus auctum, tutius incederet, ex quo flumen illud doctrinarum, quod per quadringentos annos novis semper accessionibus crevit. Quod si quidpiam in posterum metuendum est, id potius ab instabilitate rerum humanarum, quam a pertinacia errorum repeterem; hi namque per eloquentes homines iactati, explosi, vix habent tam expolita

XLVIII

aetate, quo se diu tueantur.

Sed de argumento fortasse prolixius. Vtinam vero mihi contigerit hanc flammam nostrorum pectoribus iniicere, ut quum ipsi secum reputaverint qua patria editi sint, eas maxime literas velint excolere, a quibus proavi tantam sibi laudem quaesiverunt. Et aemulos quidem in ceteris disciplinis ubique invenimus, sed haec opinio adhuc manet in animis gentium exterarum, acrius de pulchro iudicium adeo Italorum proprium esse, ut multae artes sub alio coelo pari felici-

XLIX

tate tractari nequiverint. Hanc autem Subalpini homines confirmabunt, si poësin et eloquentiam non iam in vanitate verborum, sed in veritate et altitudine sententiarum positam putent, vestigia Graecorum secuti, qui ab Homericis temporibus usque ad Marci Aurelii aetatem, nunquam non sui, varii, subtiliter copiosi, et in ipso literarum interitu argutae suavitatis haud expertes, quidquid ad humanam pertinet dignitatem scriptis complexi sunt. Nos, credo, aliquando pudebit, lectissimis exemplaribus relictis,

L

inveniendi normam ab iis petiisse, quorum maiores omne pulchritudinis lumen in his terris extinxerunt. Hi pedestri stilo tragoediam commaculare, foeda omnia in scenis exponere, comicam festivitatem in moestitiam vertere, atque antiquos demum accusare, qui huiusmodi artis dedecora a civium oculis abesse voluerunt. Non ita illustriores Itali, non ita Vincentius Montius, vir plane singularis, nobis nuper ereptus, qui, quum multa divinitus scripsisset, nihil praestantius se facturum arbitratus est, quam

LI

si poëtarum principe italicis numeris donato, ad illius imitationem aequalium et posteriorum studia excitaret. Quid porro deest Subalpinorum ingeniis, quam ut viam a superioribus commonstratam insistant? Sic enim vero et sibi et patriae erunt ornamento, quae actate CAROLUS FELIX Rex, in cultores bonarum artium magnificus, quanti omnigenas doctrinas faceret vel ipso delectu ostendit virorum amplissimorum, quos ad seculi sui decus in universa ditione eisdem voluit praeesse.

IN DIE NATALI
CAROLI FELICIS REGIS
·VIII ID. APR. A. MDCCCXVIII



Terras esse aiunt in ultimo
oceano ad austrum positas,
quae pulcherrimae situ, ea in-
super coeli temperie fruuntur,
qua nihil usquam sit beatius.
Ibi enim gignentia et fruges
sine ulla hominum procuratio-
ne oriri, non ardoribus agros
exuri, non frigoribus flumina

LVI

concreescere ; eos autem esse gentis mores , ut quum perhumana sit maximeque hospitalis , in summa tamen vitae simplicitate adventitiis copiis et maritimis invectionibus minime utatur. Multa complures addunt haud plane iis dissimilia , quae de fabulosa Hesperia Graecorum antiquissimi , de insulis Africae adiacentibus Arabes primum earum inventores , deinde vero Lusitanus Camoënsius literis prodiderunt. Quae quidem nescio , an adeo vera sint , ut nihil eisdem detrahat vel mentiendi li-

LVII

centia, vel longinquarum rerum studium, quod in Ctesia veteres, in Marco illo Veneto, qui Italorum primus Indorum et Sinarum urbes peragravit, recentiores agnoscere sibi visi sunt. Verum quum vix credibilia de illius aëris lenitate ac telluris fertilitate a plerisque memorentur, nihil tamen de incolarum cultu accepimus, ut inde iam quid praecipue discriminis inter illas regiones et nostras intersit, queat intelligi. Nam quum suas opes ibi effuderit natura, ingenium contra, efficacissimum omnium princi-

LVIII

pium, Europaeis indidit, quo et sibi negata procul arcescerent, et procreatis artium viribus, alia ex aliis expromerent. Hinc Europa, quae multis locorum opportunitatibus, metallis, fluminibus, animantium et fructuum proventu, vel Asiae vel Africae esset inferior, adeo industria potuit, ut beata rerum affluentia easdem nunc facile exsuperet, quum autem disiunctissimas terras mari devinctas teneat, nihil uspiam tam dissitum aut abditum sit, quin commerciis et navigationibus quacumque, ad vitae utilitates con-

LIX

vertat. Ad id autem quantum valuisse putabimus tot populorum necessitudinem, quam communes literae, communia studia aluerunt, unde fit, ut in tam diversis linguis, in tam repentinis bellis, una omnibus mens sit, omniumque vires unum ferme corpus efficiant? Praeclara sane consensio, Auditores, quando nulla iam urbs urbi debet invidere, sed unaquaeque id potius eniti, ut in commodorum permutatione, non minus quam ceterae contulisse videatur!

Sed ex huiusmodi coniun-

ctione et quasi contactu populorum satis apparet quae laus imperantium sit, qui egregias artes fovendo suaeque regionis mores expoliendo, non solum obnoxios, sed etiam alienos beneficio sibi devinciant. Quod si Gelo ille Syracusanus a Polybio iure laudatur, quod, humanis victimis Carthaginensibus foedere interdictis, Siculam vel potius Graecam humanitatem in barbariam propagaverit, quam apte id potest ad Europae Reges transferri, quorum consilia haud exiguis contenta finibus, ad universos

LXI

promanent! Quid aliud hoc omnium gentium incrementum est, nisi quiddam omnino varium, in quo Itali, Galli, Britanni suas sic vindicant partes, ut tamen non unius vel alterius proprium sit, sed multorum? Itaque nemo post quatuor secula vel civili sapientia in moderanda republica, vel in re militari aut navali disciplina excelluit, quin ipsius instituta passim usurpata, aliis atque aliis crescendo causam praeberint. Quae quum ita sint, quis neget pulcherrimam rem adgredi qui

Regum facta in illustri ponere instituat? Aut cur ego mandatum mihi ex tempore dicendi munus defugerem, etsi apprimè intelligo haud veniae locum esse, si quis iuveniliter magis quam sapienter in huiusmodi argumento versetur? At praeterquam quod pietati erga publicum parentem deesse nefas arbitrabar, ea quoque subibat cogitatio, nunquam in his parietibus desideratam superiorum vocem fuisse, qui Principum Natalia quotannis celebrarent. Hic enim tanquam conventus totius Subalpinæ

LXIII

gentis fuit, ubi si quid fortiter
fuisset in bello gestum, si quid
graviter in pace consultum, ab
eruditis hominibus id maiores
audirent, ac domi postea una
cum ceteris patriis facinori-
bus, liberis et coniugibus nar-
rarent.

Atque id eo libentius per-
agam, quod res mihi memoria
sunt repetendae, haud sane a
nostris studiis alienae. Quis ve-
strum est, quin Ioannem Bec-
cariam, physicorum sui tem-
poris in Italia post Boscovi-
chium facile principem, aut
ipse noverit, aut aliquid de eo

LXIV

ab aliis percunctando legendoque acceperit? Qui quum esset solertissimus naturae investigator, coelestis ignis doctrinam cum antiquis Etruscis, uti nonnullis placet, sepultam, multisque post seculis a Franklinio renovatam, sic excoluit, ut eam maxime perfecisse videretur. Qui autem acumine valeret plurimum, et pro incredibili quadam corporis firmitate nullum in inquirenda veritate laborem aut periculum detrectaret, id etiam habuit, ut romanae facundiae nitorem scito ore referret, ac penitissimos

Virgilii et Aligherii sensus unus omnium commodè posset explicare. Quam multa de eo narrabat magnus Calusius ! Quam crebro et quanta cum voluptate illam oculorum vim et senescentis iam vultus auctoritatem verbis solebat exprimere ! In cuius laudibus id minime puto praetereundum, quod virorum coetum, unde orsus cepit Taurinensis, uti vocant, Academia, primus duxit, licet ab eisdem postea nescio quo ostracismo multatus, non secus atque Hercules Graecorum, quem ob nimia imperia

LXVI

Argonautae dicuntur in litore destituisse. Is igitur, superiore seculo, a Carolo III meridianum urbis gradum metiri iussus, rem ita peregit, ut nihil perfectius a diligentissimo posset exspectari. Quod quidem alius recentioris operis initium fuit. Nam quum nuper meridianus itidem arcus a Carnis ad Venetos fuisset demensus, id sedulo Germanorum Imperator et Galliae Rex apud Victorium Emmanuelem, Regis fratrem, egerunt, ut ipsius voluntate per Subalpinorum fines ad Gallos Allobroges eun-

LXVII

dem deducere sibi liceret. Quorum desiderio libenter annuit ille Rex, additis machinatoribus operum bellicorum et viro mathematico ordinis nostri longe clarissimo, qui communem cum Gallis et Germanis operam navaret. Id paullo ante a fratre provisum, vix dum suscepto regno, perficiendum curavit CAROLVS FELIX, nullis magnificis sumtibus omissis, qui ad expeditiorem operis rationem spectarent. Arduum sane molimen, quum in summis Alpibus stataria signa adversus irruentes undique tem-

LXVIII

pestates essent figenda, eden-
dique ex composito ignes sic,
ut per concubiam et nubilam
noctem nullus error intuenti-
bus subesset! Quem vero non
deterruissent tot itinera per ab-
rupta montium et glaciales so-
litudines, ubi ne vivum qui-
dem cespitem, aut levissima
caprearum vestigia offendas?
Atqui id parum erat, si tot subti-
les investigationes attendimus,
quas provectior iam coeli di-
sciplina requirit, sive ad arca-
nam telluris vim pertineant,
qua ferreum stilum notandis
temporum et locorum inter-

LXIX

vallis adhibitum, varie omnino affici necesse est, sive ad recurrentium numerorum anfractus et quasi latebras, ex quibus astrorum situs eruitur. Eo accedebat erudita quaedam nec obscura per Europam expectatio, quum pulcherrimos doctrinae fructus inde sibi quisque polliceretur. At quam scienter, quam naviter ad exitum perducta res fuerit, nostis, Auditores, neque vos fallit quantum propterea decus Subalpinis literis obvenerit. Ipse equidem vehementer gaudeo praestantissimum Collegam in-

tuens, quem, evulgata totius operis descriptione, Parisiacus doctorum conventus, una cum Insubre viro laborum consorte, amplissimo praeconio et praemio donandum censuit. Quae sane honoris significatio eo illustrior videbitur, quod Galli homines, peracuta gens, quum sui in omnibus iudicii, tum vero acriores quam ceteri alienae industriae aestimatores habentur.

Quod si tanta laus nostrorum laboribus est tribuenda, iam patet quanta praedicatione dignus Rex sit, qui perdifficile

LXXI

inceptum summa foverit liberalitate. Provolat quippe animus ad infinitas propemodum utilitates, quae inde in nauticam rem ac telluris notitiam manabunt. Iam si totus ille coeli tractus, qui ab Adriatico mari ad extremos Armoricos protenditur, ita demum descriptus est, ut ipsius spatia totidem terrestribus punctis apprime respondeant, si Cassiniana delineatio potentissimi Galliae Regis auspiciis suscepta, ultimam, paene dixerim, nunc manum accepit, id magna ex parte CAROLO FELICI erit refe-

rendum. Priscorum Romanorum fuit omnem Graecorum de sideribus disputationem uti plane otiosam traducere; quapropter in ipso statim initio Tulliani libri de republica, Manilium Laelius urbane perstringit, qui de iis quaereret curiosius. Sed falso; si enim, ut ibidem ponit Philus, mortalium domicilium non parietibus aut regionum finibus terminatur, sed haec rerum universitas est, qua cingimur: si vel inviti rapimur ad sempiternos globos intuendos, quos tanquam animarum sedes Afri-

LXXIII

cano commonstrat Paullus in Somnio Scipionis, quid pulchrius quam eorum causas et rationem tenere? Quae vero, ut alia omittam, certa itinera per arenosam planitiem, aut quae maritimae expeditiones sine huius artis subtilitate possunt intelligi? Ponite vobis parumper ante oculos divinum hominem Columbum, invisas ad eam diem terras per immensum oceanum quaerentem, quum neque avium volatus, neque ventorum anhelitus proximi continentis spem facerent. Quid aliud saeviente

mari, vociferante remige, ipsum potuit confirmare, nisi Amalphitanae acus deflexus, et stellarum positus, quem ut illis temporibus perspectum haberet? Et certe, uti classiario imperat navarchus, sic isti praeest astrorum scientia, lustrato descriptoque coelo, ad quod suos dirigat cursus: Quid navalis rei progressus a Phoenicum, Graecorum et Arabum observationibus, ad Galileium, ad Neutronum, vel ad hanc nostram denique aetatem opus est referre? Quod nobile unquam inventum fuit ex interiore ma-

LXXV

thesi, quo illa non profecerit?
Nec usquam fortasse magis
humani ingenii vis enituit,
quam in doctrinis ad nauticos
usus pertinentibus; quarum
duae praecipuae et maximae,
quae in aestimandis lunae mo-
tuum inaequalitatibus, et in
definienda telluris figura con-
sistunt, ita nuperrime fuerunt
pertractatae, ut plura inve-
niendi laus praerepta posteris
videatur.

Sed ego sane multus, qui
in pervulgata re tam prolixam
orationem expromserim. Quin
potius ad praeclarum opus de-

LXXVI

venio, a Sardiniae floribus inscriptum, quod non ita pridem a Rege imperatum, nec dum absolutum, iam ad hominum famam et doctorum existimationem profluxit? Quo in commemorando video vos commoveri, Patres sapientissimi, benevolentia et studio erga alterum Collegam, quem solers in rebus naturalibus diligentia non minus quam iuvenilis verecundia commendat. Ille, ille est, qui per siticulosa et maxime insalubria Sardiniae loca, per recessus et iuga montium, ignotas fere ad id tempus co-

LXXVII

pias quaesivit. Noverat autem Rex quantum herbaria res, divino Theophrasti eloquio apud Graecos nobilitata, populis esset profutura. Et revera quum non omnes omnibus stirpes impertiverit Numinis providentia, sed easdem per terrarum magnitudinem longe lateque disseverit, ut aliis essent alimento, aliis voluptati, iam planum fit quanti intersit plurimas nosse, quo peregrinis et alienis perinde ac vernaculis et propriis uti possimus. Nec mirum, si oleam, quercum et populum, honestandis pugilum

LXXVIII

certaminibus ex Hyperboreis et Acheronte, uti fabulatur Pindarus, in Graeciam illatas, maximis Herculis sui beneficiis veteres adnumerarent. Quae namque regionis pulchritudo sine arborum cultu potest excogitari? Qui antiquioris Graeciae, qui Italiae squalor esse debuit, antequam importatis undique propaginibus, hac tanta nemorum varietate fronderet? Sed quid dico Italiam, si tota Europa externis opibus renidet? Quot Indica plantarum portenta, vel proceritate, vel fornicato paten-

LXXIX

tique ambitu conspicua, nostris in hortis adolescent! Quamquam non tam luxuriantes quarundam formas vellem spectari, quam obscuriores alias humique repentes, quarum usum recentior aetas ostendit. Quis nescit vicinam Galliam, amissis coloniis, premente hoste ac necessitudine rerum omnium, non solum subsidia vitae, sed et transmarinos sapes et colores ab eisdem hausisse? Quid loquar de Americanis tuberibus, quorum ope exercitus aluit, arctissimas obsidiones toleravit? Quae si in primis me-

LXXX

moratu digna videntur, haud tamen silentio praetermittendos puto tot frutices proavis inauditos, qui vel Coae arti et vitae elegantiae inserviunt, vel ferrea tenacitate lapidibus impacti, maritimas oras a fluctibus tuentur, vel demum insitam soli vim et ruris iucunditatem adaugent. Hoc etenim verissime potest confirmari; nulla alia in re ardentiora doctorum studia post triginta et amplius annos fuisse, quam in plantarum historia, novis quotidie institutis per remotissimas plagas et ferocissimas gen-

LXXXI

tes itineribus, locupletanda.

Tametsi permultae adhuc supererant causae, cur Rex nobilissimam disciplinam in Sardinia praesertim vellet excitare, quae nudata arboribus, pabulo, plerisque nunc praesidiis destituitur, quibus antiquitus floruit. Ac neminem illuc puto appulisse, quem statim non commoverit locorum adspectus, ubi in summa profluentium aquarum penuria, non herbescentis humi viriditas, non querceta, non salicta viatorem recreant, sed nescio quae vastitatis species per to-

LXXXII

tam regionem diffunditur. Quis vero sibi persuadeat naturam novercali parsimonia silvarum opacitatem Sardis invidisse, cuius adeo sub ferventi coelo egerent? Sed enim barbarorum ferrum, qui per varios belli casus insulam post Romanos tenuerant, oleta saltusque excidit, ne victis et palantibus perfugio, victoribus impedimento essent; idque incommodum ob praeteritarum legum vitium, et Scythicam per alienos fines pascendi pecoris consuetudinem, ad haec usque tempora manavit. Inde rara

LXXXIII

admodum aedificiorum materies, raras in agris casae, et sub imminente sole exhausta passim aratorum corpora, vengrandi macie torrida, quae diurnum laborem et aëris gravitatem testantur. Quanti propterea momenti plantarum propagatio in eo regno futura sit, haud multis attinet demonstrare, quum, si nihil aliud, at nemorosi montium vertices, et quercuum atque alnorum robora saxeis crepidinibus adnata, fluminum lapsus coercant, ne se liberius in stagna et paludes effundant. Sed hu-

LXXXIV

iusmodi provinciam ita in se recepit Rex, ut nihil ad laudem fieri posset elegantius. Nam quum intelligeret, quae ab invitis et reluctantibus fiant, cito dilabi; quae contra a volentibus, diutissime servari, egregium sibi fore statuit, si nulla adhibita imperii vi, et suadendo magis quam cogendo rem perficeret. Itaque sublatis iam sanioris agriculturae impedimentis, hortensiorum curam in principe urbe promovit, mox perpetuas vias consituris ornavit, quae incolarum oculos allicerent. Hisce adiecit patria-

rum stirpium studium, quo Sardi homines infinitam earum varietatem, Corsicis, Siculis, Africanis originibus permixtam, melius edocerentur. Quae quum tanta sit, quanta vix in feracioribus locis conspicitur, incredibile dictu fuerit quam multos ipsarum excolendarum cupido incesserit. Hinc viridaria et suburbana multarum deliciarum a beatioribus nuper extracta, quae, uti nobis saepe auditum est, tepidariis, lacubus, diaetis, ceteroque cultu cum Italicis contendunt. Et quoniam exem-

LXXXVI

plum in omnibus valet plurimum, iam licet coniicere quanta ipsius vis apud Sardos futura sit, qui rerum suarum studiosissimi, neque hisce urbis et urbanitatis desideriis distenti, quaestuosis ruris voluptatibus in primis indulgent. Et dubitabimus, quin Sardinia pristina fecunditate a veteribus laudata iterum niteat, ibique diu mansura sit Regis fama, quo imperante, reviviscere visa est? Binas equas albo colore et pulchritudine insignes, Venetorum gentem in Diomedis honorem quotannis mactare

LXXXVII

solitam fuisse, auctor est Strabo, credo quod equitandi artem ab ipso didicisset; at quanto maius erit CAROLI FELICIS in Sardos beneficium, a quo vegetiorem nitidioremque insulam acceperint?

Carptim haec attigi, Auditores; iam enim ad leviores artes suo quodam flexu mea decurrit oratio. Nam quum hanc iuventutem severioribus doctrinae studiis excultam intueor, altera illa recursat cogitationi, quae in pulchri imitatione versatur, quamque Rex omni ratione fovendam putavit.

LXXXVIII

Quid autem gloriae stimuli in ipsius animis possint, propositum modo ingeniorum certamen ostendit, quo in certamine idem statuarius, qui Orpheum sub Mercurii forma, duobus ab hinc annis, mollissime exsculpserat, Priamum ad Achillis pedes sic effinxit, ut omnem illum senis moerorem, quem in Homero legimus, oculis subiiceret. Nec segniores se prae buerunt Vitruvianae disciplinae alumni in diagrammatis aedium Deorum ac Deorum, quas vel corinthia gracilitate, vel dorica maiestate

LXXXIX

veteres donabant. Fuerunt etiam qui Theocriteas scenas et topiaria opera cum lucis, piscinis et euripis repraesentarent, quae Ludius Elota omnium primus in parietibus Romae dicitur depinxisse, cuique adeo argutias et facetissimos picturae sales Plinius attribuit. Quibus visis, quisque animo augurabatur fore, ut per diu inter mortuae apud nos artes aliquando reviviscerent. Quid namque in reliqua laude nostrorum ingeniis defuit? An expressa scribendi vis? At quae expressior, quam illa Alferii?

An insignis quaedam doctrinae varietas, an in vero persequendo studium ? At quis plura et magis inter se dissita complexus est, quam Calusius; qui porro acrius in mathesi et in naturae inquisitione viderunt, quam docti illi, quorum provenus memoria patrum inclaruit ? Si igitur aliis in rebus, iisque praestantissimis, multis pares fuimus, atque hac una pingendi sculpendique venustate a plerisque Italorum superamur, necesse est incitamenta nobis defuisse, quibus deductis, nulli unquam nobiles

artifices exstiterunt. Nam quum principes artes suis ipsae viribus, suoque, ita dixerim, afflatu regantur, leviores ex adverso, veluti flexuosae quaedam arbores, quae firmitatibus adhaerent, aliena praesidia desiderant. Ac nemo magnus poëta fuit ab Homero ad Torquatum, ne latino quidem epico excepto, quem noti iam carminis elegantia serius Augusto conciliavit, quin plus naturae felicitati, quam fortunae debuerit. Longe liberior ac paene agrestior philosophorum ratio est,

qui multarum rerum securi ,
quae plerosque habent sollicitos,
iratis saepe Diis, uti Simonides
ille Xenophonteus, ruri
fruuntur, ab iis repudiati et
eiecti, quorum patriam scriptis
honestarunt. At quam diverse
de pictoribus et statuariis
sentiendum est, quos nemo sermone
usurpaverit, quin statim
Periclis et Mediceorum subeat
recordatio! Atque ut praeteream
eorum ingenium in urbium
celebritatibus expoliri ac
praemiorum spe maxime excitari,
quis non videt quam accurate
instituendi sint, ut in

XCIH

perdifficili arte nihil probent,
nisi sincerum? Magno quippe
in errore versaretur, si quis ad
certam normam et mathemati-
corum numeros eandem vellet
redigere, quum potius totum
id, quod in Glyconis aut Apol-
lodoris signis divinum dicimus,
quiddam plane reconditum sit,
quod nemo unquam apte ver-
bis definiat. Quanta idcirco, et
quam subtilis et varia doctrina
in illis requiritur! Mitto histo-
riam, mitto Graecorum sym-
bola, quae verissima quaedam
pictura antiquioris sapientiae
sunt; at quanti refert optimo-

rum lectioni mature eosdem
assuescere, sive ad hauriendos
poëtarum spiritus, sive ut ali-
quid ex arte in artem transfe-
rant, ad eum fere modum, quo
Vrbinas Apuleianam narratio-
nem in convivio Deorum de-
pinxit! Vnde intelligitur, cur
Pleias praestantissimorum ar-
tificum magnos Principes sub-
sequatur, apud quos in honore
fuerunt; horum autem aetatem
sua luce sic illustraverint, ut
nihil sit ad memorandum iu-
cundius. Hanc nempe vicem
referunt literae et artes, quas
idcirco memoriae filias poëtae

XCV

dixerunt, quod populorum et Regum benefacta immortalitate rependunt.

Ne tamen putetis me per omnia iturum, quae Rex bonarum artium causa providenter instituit. Scitote nunquam tam ampla ornamenta proposita nostris adolescentibus fuisse, eisque ad omnem elegantiam fingendis talem virum Romae esse delectum, in quo, ut multa prorsus eximia, sic etiam mittem illam Laelii sapientiam, libenter laudaverim. Qua vero felicitate idem usus sit in Tusculani reliquiis eruendis, Re-

giae aedes ad Alladium in Salassis positae, abunde ostendunt. Ibi enim in Chalcidico pergrande Augusti simulacrum nuper egestum, cum hasta et paludamento conspicitur; ad laevam autem sedentis Tiberii effigies, in cuius vultu abstrusam illam naturam a Tacito penitus expressam, facile agnoscas. Libellum manu tenet imperator, veluti ad alloquentem conversus, non sine molli digitorum gesticulatione, quam tangit Svetonius, et quum florente adhuc corpore sit, haud tamen longissime a senectute

XCVII

videtur abesse. Hoc signum, vivo Tiberio, a Tusculanorum Senatu locatum fuisse, atque adeo ad nondum degenerem aetatem pertinere, credibile admodum fit; quis enim, sublato imperii metu, Augusti privigno statuam posuisset? Sunt praeterea duorum municipum simulacra, satis ampla, corrugata et proluxa veste, vultu senili; sunt et muliebres imagines, ex quibus illa Rutiliae matronae, capite velato ad severitatem moris antiqui; nec inde procul puer exstat e marmore, apri catulum ulnis ar-

XCVIII

ctissime constringens, mira pulchritudine. Haec monumenta, nescio quam romanam amplitudinem Regiis aedibus inferunt, quas idcirco excultiores hospites invisunt studiosissime, Regem mirati, qui neque rusticis otiis, in tanta regionis suburbanitate, hanc veterum elegantiam voluerit deesse.

Vix dici potest, Auditores, quantam ubique gratiam istiusmodi in promovendis bonis artibus munificentia, Regi conciliaverit. Nam quum praeclara quaevis studia mansuetudinem foveant animorum, tum ea prae-

XCIX

sertim, quae ad pulchrum pertinent, ut qui in his plurimum sit, humanissimus habeatur. Et huius quidem rei fructum percepit Rex, quum Neapoli, Romae, Mutinae, Mediolani ageret, nuperrime vero in itinere ad Orobios instituto. Est ibi Verbanus lacus, eorum qui Galliam alluunt Cisalpinam, post Benacum sane pulcherrimus. Duae autem insulae haud longe a Palantio oppido e mediis aquis erumpunt, quae sororia quadam vicinitate ac similitudine inter se coniunctae, a Borromaeorum gente,

C

in cuius ditione sunt, nomen accipiunt. Ac nescio, an aliae iucundiores ad visendum sint, quum altera perpetuo virens, stirpes ferat omnium terrarum; altera salientibus, hortis, specubus manu excavatis, tabulis, signis instructa atque ornata, eam speciem praebeat, ut divina quasi virgula enata videatur. At ubi Aronam primum, deinde ad insularum maximam diversatum venit Rex, qui undique concursus fiebat! Quae gratulationes illi habebantur! Nec enim solum oppidanorum multitudo ab Intratio, Suna,

Licinii foro aliisque campestribus locis eo convenerat, sed montani homines iam antea rei fama permoti, ex Helvetiorum et Lepontiorum finibus confluerant, qui dissona lingua, consono clamore Regem salutabant. Vt autem, advesperascente iam die, nocturnis ubique facibus lacus coepit collucere, laetissimum omnium spectaculum editum est: naves ad pompam instratae dispersim, confertim, huc illuc discurrebant, simulacra pugnarum inibant; tunc victi evadere, victores instare, inte-

rea symphoniacorum globi per
oram dispositi, varios concen-
tus efficere. Biduo stipatus cun-
ctorum studiis, in hospitio do-
mus clarissimae una cum Regia
coniuge fuit Rex, quoad ro-
gatu arcessituque populorum
ad Gaudianos discessit. Est in
eorum confinio alter lacus,
Cusius a Romanis dictus, mo-
dicæ magnitudinis et summae
item amoenitatis, sed diverso
plane adspectu. Nam quum
Verbanus ad multam longitu-
dinem pateat, hic contra cir-
cumsidentibus undique mon-
tibus in orbem concluditur.

CIII

Scopulus ab imo lacu in planitiem attollitur, olim arx, nunc aedificiis contextus, et perantiqui fani religione in primis nobilis, quod Iulio, viro sanctissimo, eae gentes dedicaverunt. At simul vexillariam navem conscendit Rex, lyntres, scaphae, lembi vario colore distincti, eum comitabantur, nihil ut iucundius eo excursu esset, nihil quo melius vernacula illorum hominum festivitas posset ostendi. Quum paullo post eadem illa loca succederem, euntium, redeuntium turmae passim occurrebant; Rex

in omnium ore ferebatur, tituli per compita grandibus literis erant inscripti, qui singularem ipsius in universos comitatem testarentur. Sed infinitus essem, si vellem singula persequi; hoc unum confirmabo, instar triumphi illud iter fuisse, quod Rex ab Insubrum finibus ad Novariam, ad Vercellas, ad Taurinum, frequentissimis ubique omnium civium ordinibus, peregit.

Quae quum ita sint, cur Regi vehementer non gratulabimur, cui, quod optimis nonnunquam Principibus defuit,

ut summas populorum testificationes haberent, cumulatis-
sime contigerit? Atque id eo
magis, quod praesens aetas,
nescio quo commota felicitatis
desiderio, et solertiora consilia,
et ornatiorum quam antea pa-
cem requirit, sive is adhuc
stimulus ex praeteritis conver-
sionibus remanserit, sive hoc
dum crescentibus artibus
tribuendum sit, quae huma-
nam vitam in dies adaugent.
Sed tu, o Rex, excitatis mo-
numentis, communis viis, ex-
structo navali, barbaris insigni
clade multatis, aperte osten-

CVI

disti, te velle seculo satisfacere, et spem futurarum rerum relinquere. Perge porro inceptis insistere ; ex te namque discent aequales, non tam generosum esse regni necessitudines dissimulare, quam easdem, uti facis, explere. Sic multa a maioribus inchoata perficies, gratiorque tui memoria ad posteros perveniet, quos videaris immortalis cogitatione fuisse complexus.



V. GATTIERA R. A.

Imprimatur :

FERRARIS MODERATOR.

